



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Officio Hominis Christiani In Persecvtione Constitvti**

**Lens, Jean de**

**Lovanii, 1578**

Non debere quenquam temerè sese in persecutionum pericula conijcere.  
Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30333**

Vtatur (inquit) exemplo beati Sebastiani Martyris, cuius hodie natalis est. Hic Mediolanensis oriundus est: fortasse aut iam discesserat persecutor, aut adhuc non venerat in hæc partium, aut mitior erat. Aduertit hic aut nullum esse, aut tepere certamen: Romam profectus est, vbi propter fidei studium persecutiones acerbæ feruebant: Ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. Si vnus persecutor fuisset, coronatus hic martyr vtique non fuisset. Quærebat tum beatus ille vir certamina, & occasionem pro Christo moriendi venabatur. Quale quiddam & de beato Francisco memoratur, qui martyrij cupidus, ad Solthanum se contulit, vt cruce prædicata, daretur occasio quæpiam eandem per mortem illustrandi. Memorabilis verò hic fuit beatus martyr Gordius, D. Basilij litteris celebratus: qui cum prius furente persecutione Gentilium fugisset, seque in solitudinem abiecto baltheo militari contulisset, postea spiritualibus exercitijs, diuinisque meditationibus insuperabilis factus, & ad martyrium obeundum diuinitus incitatus, redijt: eoque potissimum tempore, quo equestri spectaculo omnium oculi tenebantur, ex eminentiori theatri parte clarè illud pronunciauit: Ecce inuentus sum ab ijs qui me non quærunt: his qui me non interrogant palam apparui. & postea iudici: Reuersus sum (inquit) palam ostendens quod tua edicta nihil curo. Quæ magis instinctu diuino facta credenda sunt, quàm ordinaria sibi bene consulendi ratione.

*Non debere quenquam temerè sese in persecutionum pericula conijcere.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

**Q** Vippe nostram infirmitatem semper debemus habere suspectam, ex qua non in grauius

G 5 uibus



uibus modò, verùm etiam leuioribus tentationibus deficiamus, nisi diuina manu sustentemur. Ideoque monet Apostolus, vt cum timore & tremore nostram salutem operemur, quia Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Quod pijsissimus Propheta cum aliquando non aduerteret, dixit in abundantia cordis sui: Non mouebor in æternum. Sed quid euenit? quæve ratione tam securi cordis est castigata præsumptio? Auertisti (inquit) faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Sed ecce tamen & alterum: Domine (inquit Petrus) etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Feruebat illi pro Christo animus, seque posse putabat quod velle sentiebat: verùm labentem infirmitatem nõ multo post ruina manifestat. Ideoque promptis quibusdam & quodam martyrij desiderio feruentibus Dominus misericorditer subtrahit occasiones, ne suos supra id quod possunt, tentari permittat. Certè D. Ambrosius de semetipso loquens & confitens, quid pluribus diuina miseratione præstetur ostendit: Peto (inquit) mihi passionem martyrij: spiritus promptus est, sed videns infirmum carnis meæ, ne dum maiora cupio, minora amittam, dicit: Non potes hæc accipere. Quales (ait) occasiones habui? & de ipso prope sine reuocatus sum. Nouit enim bonus medicus, quæ escæ cui apta sit infirmitati, & cui tempori ad profectum valetudinis. Interdum oportunitas escæ, sanitatem reddit: quod si importunè aliquis accipiat, aut non conuenienter, implicatur periculo. Quia ergo nescimus (inquit) quid oremus, & quomodo oportet, spiritus postulat pro nobis. Narrat quendam Corinthium Ecclesiastica historia, ex epistola Smirnenfis Ecclesiæ, exemplo aliorum accensum, dum & ipse fortiter facere statuisset, turpiter in tormentis, quæ sibi temerè accersierat, defecisse: Quæ res (inquit) eum ad martyrium pro-

*Epist. 23.*

*lib. 4. eccl.  
bist. cap. 15*



procacia potius & temeritate, quàm deuotione  
 profiliisse declarat. Ipse namque se iudicijs inges-  
 serat. Victus itaque exemplum euidens omnibus  
 dedit, cautius in rebus talibus & circumspectius  
 agendum, quia non temeritas, sed fides & mode-  
 stia coronatur. Hęc memorata epistola, & quidem  
 rectissime. Etenim orare nos Dominus iubet ne  
 intremus in tentationem: propterea etiam Chri-  
 stum (ait Chrysostronus) non vltro isse in ere-  
 mum, sed à sancto Spiritu ductum esse Matthæus  
 commemorat: per ista nobis clam suggerēs, quod  
 non spontè nos ipsos in tentationes oporteat in-  
 filire, sed si tracti fuerimus, viriliter stare. Idemque  
 alio loco: Oremus (inquit) Deum, ne intremus  
 in tentationem. Si autem intrauerimus, feramus  
 fortiter. Illud quidem temperantium hominum  
 est, vt se ipsos in pericula non præcipitent; hoc  
 autem fortium & Philosophorum. Non itaque  
 nosmetipsos præcipitemus quomodolibet, te-  
 meritatis quippe esset: neq; iterum aduersis iacta-  
 ti, & rebus sic vocantibus, cedamus, timoris nam-  
 que hoc esset. Sed si quidem prædicatio verbi nos  
 vocauerit, non renuamus: temerè verò, neque  
 existente causa, neque vtilitate aliqua, neque ne-  
 cessitate quæ ad pietatem pertinet, vocante, non  
 irruamus: ostentatio quippe esset & ambitio ho-  
 noris superflui. Si autem aliquid eorum quæ læ-  
 dunt pietatem contingat, etiam si mille mortes  
 sustinere nos oporteat, nihil renuere debemus.  
 Non prouoces tentationes, quando tibi ea quæ  
 ad pietatem pertinent, pro voto procedunt: vt  
 quid superflua tibi accerferes pericula nullum lu-  
 crum habentia? Hęc dico (inquit) volens vos  
 custodire leges Christi, iubentis orare, ne intre-  
 mus in tentationem, & iubentis vt crucem no-  
 stram tollamus, ipsūque sequamur: hęc quippe  
 non sunt contraria, sed valde conuenientia. Tu  
 quidem esto præparatus sicut miles fortis, in ar-  
 mis

*Matth. 26*

*Homil. 13.  
in Matth.*

*Vide etiam  
homil. 67.  
ad populū  
Antiochenū*



mis perpetuò sobrius, vigilans, semper hostem expectans: bella sanè non excites; hoc quippe militis non est, sed seditiosi. Si verò tuba pietatis vocauerit, confestim procede, & contemne animam, & ingredi cum multa alacritate in agonem: rumpe aciem aduersariorum, concide faciem diaboli, statue trophæum. Si autem pietas nihil læditur, neque depopulatur aliquis nostra dogmata, dico autem ea quæ ad animam pertinent, neque cogit aliquid facere quod Deo non placeat, noli esse superfluus. Hæc Chrysostomus. Quibus iungendum est quod D. Cyprianus admonuit in eo libro quem scripsit de singularitate clericorum. Quia sunt enim qui prætextu gratiæ auxiliatricis, quam sibi temerè præsto affore pollicentur, minus tentationum pericula refugiunt: Accipimus (inquit) fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur; sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, vt prouidos nos, non præcipites tueatur. & rursus in eodem libro: Ordine suo, non nostro arbitrio, virtus Spiritus sancti ministratur, & secundum institutum eius, prælia prosperantur, nunquam nisi præcipitatus exercitus cecidit, qui audus facere ducis vel imperatoris sui dispositiones, irrupit: multo magis per perituram erogat fortitudinem, qui sine armis doctrinæ magistri spiritus, præsumpserit triumphare, cum dicat: Veh qui per præsumptionem suam aliquid faciunt, non per Deum. Sic eo libro Cyprianus. Sed erunt etiam fortasse, qui propter continentiam & vitæ sublimius aliquod institutum, plus quiddam se in persequutione præstare posse putabunt, quam inferiores alij, quos certasse fortiter & vicisse cognouerint: ideoq; tanquam securiores de victoria, periculorum esse volent contemptores. Hic verò prudèter Augustinus virginem admonuit, ne tale quid sibi temerè arrogaret, quale fortes nonnullos etiam coniugatos fecisse vidisset vel audisset, verum

*Lib de sancta  
virginitate c. 47*



rum submissè potius de semetipsa, suaq; firmitate sentiret. Habet virgo quod cogitet (inquit) vt non infletur, non æmuletur, ita se videlicet bonum virginali bono coniugali multo amplius & melius profiteri, vt tamen nesciat, vtrum illa vel illa coniugata iam pati pro Christo possit, adhuc verò ipsa non possit, & in hoc ei parcat, quia infirmitas eius tentatione nō interrogatur. Fidelis enim Deus (inquit Apostolus) qui vos non permittit tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Fortassis illi vel illæ, coniugalis vitæ retinentes in suo genere laudabilem modum, iam possint contra inimicum ad iniquitatem cogentem, etiam laniatu viscerum & effusione sanguinis dimicare. Illi autem vel ille, à pueritia continentes, seq; castrantes propter regnum cœlorum, nondum tamen valent talia vel pro iustitia, vel pro ipsa pudicitia sustinere. Aliud est enim pro veritate ac proposito sancto, non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti atque ferienti. Latent ista in facultatibus & viribus animorum: tentatione panduntur, experientia propalantur. Hactenus Aug. Idcirco & beatus Gregorius: Cum

*1. Corin. 10  
Lib. 3. dialogorum  
cap. 28.*

persequutionis apertè (inquit) tempus ingruit, sicut plerique martyrium subire possunt qui in pace ecclesiæ despicabiles esse videtur, ita nonnūquam in debilitatis formidinem corruunt, qui in pace ecclesiæ fortiter prius stare videbantur. Rectissime proinde Tuitiensis Rupertus admonuit his verbis, scribens in decimum Matthæi caput: Non præsumas de spiritu fortitudinis, non cito te ipsum præcipites in caminum tentationis, sed timens ne fortè martyrio dignus non sis, fuge, quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et iustius necessitas quàm voluntas coronam parit. Verū tamen si expertus es veraciter quod donum habeas supernæ fortitudinis, & hoc tibi Spiritus sanctus



sanctus aliquo modo reuelavit, laudabile est vt vexillum crucis vltro arripias, & procurrens contra hostem, in procinctu fidei confirmes infirmos, & sperandæ à Deo fortitudinis exéplum præbeas. Sic Rupertus. Quia scriptum est igitur; Qui stat videat ne cadat; parumq; voluntatis nostræ vires habemus exploratas, nec raro pium desiderium, proficiendi facultas destituat: plerique tentationem non aduocare, sed fugere debemus, ne si periculum quæsisse videamur, in eo implicati pereamus. Est interim verum quod Augustinus dicit alio in loco: Sicut se infirmitas eorum firmitasque habuerit, metuunt sancti tentari, cupiunt tentari: dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus; vt enim metuant tentari, audiunt: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum ne & tu tenteris. Vt autem cupiant tentari, audiunt quendam virum fortem ciuitatis Dei dicentem: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum: vt doleant in tentationibus; vident Petrum flentem: vt gaudeant in tentationibus. audiunt Iacobum dicentem: Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. De isto quoque perfecto & exercitato cum D. Ambrosius loqueretur: Iustus (inquit) optat probari, tentari non timet. Qui enim statuit custodire iudicia Dei, non timet tentationes. Talis nimirum est qui dicit: Iuravi & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Stat David mentis statione fundatus, nec timet ne in his mundi tenebris possit errare. Si enim metueret, non iuraret. Est autem hic luculenta proffus nec prætereunda nobis D. Athanasij inuictissimi Alexandrinorum præsulis oratio. Is in Apologia qua suam fugam tuetur, aduersus maledicos Arianos, qui eum vitiosæ timiditatis accusabant, posteaquam exemplis compluribus & scriptura-

*lib. 14. de  
ciuit. cap. 9*

*Galat. 6.*

*sermo. 14.  
in psal. 118*



rum testimonijs licitam esse docuisset in persecutione fugam, eruditissimè commōstrat, quemadmodum & vitanda sit temeritas, ne nos in pericula præcipites ingeramus, & diuinæ voluntati, simulatque patefacta fuerit, obedienter acquiescendum. Hoc enim imprimis constituit, cuique suæ vitæ tempus diuinitus esse mensuratum, nec longiorem cuiusquam aut breuiorem, quàm ille dominans in nobis Deus voluerit, vitæ cursum futurum esse. Id autem vt norūt sancti, ita eosdem ignorare subiungit terminos præfixi sibi temporis. Idcirco enim à Dauide peti: Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Hoc ipsum Ecclesiasten quoque disertis verbis expressisse, cum diceret: Et non nouit homo tempus suum. Propterea quoque dixisse patriarcham Isaac filio suo Esau: Ecce consenui, & ignoro diem finis mei. Hinc iam docere pergit, neminem ingerere sese in mortem debere, vt tanquam sibi ipse definiat tempus moriendi, quod Deo soli perspectum est, sed quoad ille permiserit, vitam eius munere concessam, conseruandam esse fuga & latebris: vbi autem horam ipse ostenderit, tum minimè repugnandum esse. Vtitur exemplo Christi: Qui sciens (inquit) quot cuique annos ad mensus esset, neque ignorans quod tempus ad patiendum suo corpori præfinisset, vbi propter nos homo factus esset, cæteris diebus, qui hoc tempus antecedeabant, nostro more, cum quæreretur, sese occultabat, & cum eum persequerentur, effugiebat: insidijsque deuitans, per medios illos transibat. Quum autem tempus à se definitum ipse sibi adduxisset, in quo corporaliter pro hominibus pati volebat, tunc alloquutus est his verbis patrem: Pater venit hora, clarifica filium tuum; nec iam inde se quærentibus subduxit, sed volens comprehendī substitit ac remansit, atque ita eis qui aduersus se tendebant, loquutus est: Quem quæritis? Illisque respon-

respon-



respondentibus, Iesum Nazarenum, dixit: Ego sum. Neque semel duntaxat, sed secundo id fecit, atque ita postmodum cum abduxerunt ad Pilatum. Neque ante tempus permisit se capi, neque cum tempus adesset sese occultauit, sed seipsum obtulit insidiatoribus. Deinde adiungens exempla sanctorum: Sancti verò (inquit) pro formula accepta, utpote à Domino eruditi, & priscis olim & sequentibus temporibus, in certamine quod illis erat cum persecutoribus, & fuga se instantibus eripiebant, & quærentibus sese per latebras subducebant: quippe (ut homines) ignari erant temporis sibi à diuina prouidentia constituti, ac proinde minimè sese insidiatoribus ingerebant, cum non ignorarent quod scriptum est: In manibus Dei esse sortes hominum, & Dominum occidere & viuificare: atque ideo usque ad decursum sui temporis expectare maluerunt: oberrantes interim (ut Apostolus dixit) in melotis & renonibus per solitudinem defraudati, afflictis, & in speluncis foraminibusque terræ latitantes, donec aut mortis definitum tempus superueniret, aut quoadusque definitor temporis Deus ipsis hoc indicaret, vel persecutores inhibens, vel persecutoribus eos tradens. Quod aliquando inter fugiendum conuerso itinere se in aduersarios intulere, non temerè hoc ab illis neque inconsultè factum est. Admoniti enim à spiritu, sese persecutoribus obuios ferebant, etiam tum quoque suum obsequiū promptitudinemque declaraturi: Qualis erat Helias à spiritu hoc audiens, & apparens coram Achab. qualis & Michæas propheta, ad Achab accedens. Et post multa concludit: Vtilis igitur (inquit) & non infructuosa populis fuga sanctorum, etiam si id Arianis non videatur. Quapropter sancti (quemadmodum dictum est) fugientes sese occultabant, & per dispensationem ut medici in usus indigentium reseruabantur. Reliquis autem & in



& in vniuersum omnibus, ea lex propofita est, vt fugiant dum in perfequutionibus appetuntur, & occultent sese dum quæruntur, neque præcipites temerarijque sint in tentando Domino, sed expectent donec definitum moriendi tempus aduenerit, aut iudex ille aliquid de ijs quod sibi rectum videatur, constituerit. Sed tamen nos semper paratos esse voluit, vt vel vocante tempore, vel apprehensi pro Ecclesia vsque ad mortem dimicemus. Hoc & beati martyres temporibus perfequutionum obseruauerunt, ijdémque quamdiu in latebris erant sese obturabant: vbi autem inuenti essent, martyrium obibant. Quod si quidam ex ijs se perfequutoribus dediderunt, non temeritate eo rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur à Spiritu sancto hanc promptitudinem, sui que oblationem profectam esse. Et ad huc quidem modum B. Athanasius prudenter consideratèq; perfecit, ne quisquam illi vitium meticulositatis obijciendum putet. Nã cum pastoralis memor officij, caueret id maximè ne populum gregemque suum prodidisse videretur, non prius sese fuga subduxit, quam & à suis vt id faceret monitus esset, quem vnum quæri non ignorabant, & diuino esset miraculo, quo liberet id magis, confirmatus. Sicuti & sæpè aliàs (vt est apud Theodoretum in Tripartita) diuino nuntio pericula multa fer-  
*lib. 5. tri-  
 par. ca. 26.*  
 tur effugisse. Sic autem de se scribit in fine Apologia: Nox erat, multique ex populo ad proximam synaxim in orationibus peruigilabant, cum dux exercitus Syrianus ingessit se pluribus quam quinque milibus, quorum alij arma, alij strictos gladios gestabant, alij arcus, iacula, fustes: & Ecclesiam, militibus propè inter se conseratis manibus, ne quisquam inde exiret aut elaberetur, cinxit: Ego autem cum in tanta tribulatione populos deserere absurdum putarem, & rectius esse vt pro alijs pericula fusciperem, ma-  
 H  
 nebam



nebam sedens in cathedra mea, diacono iusso  
 ut Psalmum recitaret: Quoniam in saeculum mi-  
 sericordia eius; & post recitationem quisque do-  
 mum abiret: vbi cum dux istarum cohortium vi-  
 in templum irrupisset, militesque sacrarium, ad  
 me intercipiendum, obsiderent, quotquot ex cle-  
 ro, populo ve residui erant, clamitare, obsecrare,  
 vt me subducerem: ego contra, nisi omnibus ad-  
 vnum digressis, me recessurum pernegabam: qua-  
 propter relicta cathedra, iniunctisque precibus  
 obsecrabam, vt abitum maturarent: melius enim  
 esse iudicabam si ipse in periculum venire, quam  
 vt quisquam illorum acciperet. Digressis igitur  
 plerisque, caeterisque eos subsequenter, mona-  
 chi mei & nonnulli ex clericis inter abeundum  
 me secum abstraxerunt. Atque ita (testor verita-  
 tem) per milites, quorum alij sacrarium cingebat,  
 alij per templum oberrabant, inoffense transi-  
 mus: Domino duce & protectore, nihilque ipsis  
 sentientibus elapsi sumus, Deum interim magni-  
 ficè glorificantes, quod neque populum prodid-  
 semus, & quod ijs prius sine noxa dimissis, qua-  
 rentium manus effugissemus. Quum igitur di-  
 uina prouidentia nos ita mirabiliter ex hoc peri-  
 culo eripuerit, quis mihi id iure vitio verten-  
 dum putet, quod non vltro me in manus qua-  
 rentium reiecerim, aut remenso itinere, me eorum  
 oculis ingesserim? Haec igitur Athanasius. Quod  
 vero D. Cyprianus permittit quibusdam, taci-  
 teque hortatur, vt repetant agonem martyrii,  
 ad eos referendum est qui lapsi fuerant prius.  
 Quorum tamen delictum poterat poenitentia  
 satisfactione purgari, tamen id quoque restabat,  
 quod merito facerent, vt diuinum honorem repa-  
 rarent confitendo, cui negando labem intulerant.  
 Si nimium (inquit) properant, habent in sua po-  
 testate quod postulant: largiter acies adhuc geri-  
 tur, & agon quotidie celebratur: Si commissi verè  
 & fi.

Lib. 3. 8.  
 Epistolae  
 Epist. 18.



& fideliter pœnitet, & fidei calor præualet, quæ differri non potest, potest coronari. Denique notandum est quod idem ait Cyprianus in eo sermone quem scripsit de mortalitate, non esse martirium in nostra potestate, sed de Domini dignatione pendere. Cū enim grassante peste, multosq; cum Gentilibus Christianos quoque rapiente, non deessent qui se quereretur morte præueniri, qui tamen sese ad tolerantiam passionis toto corde & plena virtute deuouissent, hunc quoque impatientioris animi motum sedare volens Cyprianus: Primo in loco (inquit) non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martirium: nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere. Deinde Deus scrutator renum & cordis, & occultorum contemplator & cognitor, videt te, & laudat, & comprobatur. Et qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem. Nunquid Cain cum Deo munus offerret, iam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptum Deus prouidus ante damnauit. Vt illic cogitatio mala & perniciofa conceptio, Deo prouidente prospecta est: ita & in Dei seruis, apud quos confessio cogitatur, & martirium mente concipitur, animus ad bonum deditus, Deo iudice coronatur. Aliud est martirio animum deesse, aliud animo defuisse martirium. Qualem te inuenit Deus cum vocat, talem pariter & iudicat. Et ad istum quidem modum Cyprianus.

*Cauendum esse Christiano, ne incauta temeritate persecutionem vel excitet, vel exacerbet.*

CAPVT XIII.

**N**Ec prætereundum est, quod D. Ambrosius, cum de officijs scriberet vitæ Christianæ, his verbis scriptum reliquit: Cauendum reor (inquit) ne dum aliqui nimia gloriæ ducuntur cupiditate, insolentius abutatur potestatibus, & plerunque

*Lib. 1. officiorum c. 42.*